

absoluto, Tibi transmittere, quod tum cum iconibus convenienter compingi poterit. *Synonyma conchyliorum* Tab. VII ad XII proximis abhinc diebus curabo, et descriptas sine mora pariter transmittam.

Cantharides officinarum huc quidem quibusdam annis advenisse ab amicis audivi. Hoc anno vero eas nondum licuit mihi invenire. Cum jubeas frondes ligustri concutere, ut decident, inde fere concluderem, Te speciem aliquam exiguam cantharidum hîc intelligere. Cantharid. enim offic. quas ego novi et hîc in officinis invenio, vidi examinis fere apum instar et satis grandes Syringam hisp. circumvolitasse eiqve in cumulis adhæsisse, vt et ex longinquo conspici, et olfactu percipi potuerint. Inventas non morabor ad Te vivas mittere ad coloniam aliquam stabiliendam.

Illud ipsum, quod scribis: *Nautilum crassum* et *papyraceum* toto coelo differre, erat ratio, quare Te de loco, quorsum quisque referendus foret, consuluerim. Secundum sextam enim editionem systematis (recentiorem enim hîc non habemus) *Nautili* animal est *sepia* et *testa multilocularis*, *cochleæ* vero *testa unilocularis*. Iam *nautili papyracei* animal quidem est *sepia*, sed *testa unilocularis*, ergo neque ad *cochleas* neque ad illud genus *nautili* ibi descripti referenda. *Nautili* crassi animal *limax* eum quidem ad *cochleas*, sed *testa multilocularis* eundem ad *nautilos* refert. Forsan vero hæc in editionibus a me non visis 7ma ad 9nam alio modo jam disposita sunt.

Editionem 10nam systematis Tui admodum esurio.

Gratissimum mihi foret munus, si plagas de regno animalis absoluto, tantum supernumerarias vel rejectilias, quam primum illæ impressæ fuerint, ad me transmitteres. Exemplar mei novi systematis physicæ experimentalis minimum erit, quod in eius locum remissurus sum, quod pariter proxime erit absolutum.

Num Dominus de Rohr, vt nuper retuli, ad insulas danas americanas historiæ naturalis gratia missus, eô felix pervenerit, nondum scio. Ceterum omnia, quæ inde exoptas,